



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Nobili Viro Dvci Zaringiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

immutari unde præjudicium ei & nobis posset opprobrium provenire; sed usque ad terminum constitutum & ultra etiam curabimus expectare, processuri auctore Domino sicut fuerit procedendum. Credimus tamen quod utilitati tuæ potius expediret ut sub manu nostra te humiliare curares, quæ non solum fortis & potens, sed ampla etiam est & larga, de facili valens sic humiliare superbum sicut humilem exaltare ac singulis reddere secundum exigentiam meritorum, devotis & obedientibus gloriam, indevotis autem & inobedientibus pœnam, cum diversis modis in multis locis & variis causis nostrum possimus beneplacitum adimplere. Quapropter si nos in eo placare satageres in quo nos offendere attentasti, ut ad illius auxilium & favorem prompta devotione redires à cuius auxilio & favore indecoro spiritu recessisti, spes tibi non incerta daretur ut quo cecidisti resurgeres, & si non ad illum in quo alius est locatus, ad alium tamen gradum in quo alius est locandus, & nos interim faceremus tibi honorabiliter provideri ad nostrum & ipsius honorem efficaciter intendenti. Inspiret igitur cordi tuo ille qui ubi vult spirat spiritus veritatis, ut sanum amplectens consilium, animam simul & corpori sine dubitatione salubre illud agere studeas per quod divinam & nostram gratiam merearis, pro certo confidens quod illius parati sumus vestigia imitari qui dicit: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Alioquin non nostræ duritiæ sed tuæ poteris imprudentiæ imputare, si novissima tua sient pejora prioribus, dum sanis consiliis refugis acquiescere ac justis persuasionibus consentire. Datum Ferentini x. Kal. Novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

## Patriarchæ Aquilegensis.

Epist. 167.

**L**icet post necem illustris memorie Philippi Ducis Sueviæ super negotio imperij beneplacitum nostrum tibi pluries curaverimus intimare, quia tamen iteratò illud per nostras litteras tibi postulas aperiri, cum Ecclesiæ tuæ possit ex hoc dispendium imminere si nescias in quam partem debeas declinare, fraternitati tuæ præsentium insinuatione clarescat quod cum per Dei gratiam sumus super petram solidam stabiliti, in eodem in quo & prius proposito permanemus. Quocirca fraternitatem tuam rogamus attentius & monemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo adhaereas, eique assistas viriliter & potenter. Datum Laterani xiv. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno undecimo.

Illustri Regi Ottoni  
in Imperatorem Romanorum electo.

Epist. 168.

**L**icet per dilectum filium magistrum Henricum sancti Geronis Scholasticum generales ad omnes Principes & speciales ad multos jam dudum litteras direxerimus, quales tuæ promotioni novimus expedire, quia tamen postmodum quamplures eorum nos consulere curaverunt cui malleus eos super imperio adhaerere, quosdam per iterata scripta fuimus exhortati, videlicet Aquilegensis Patriarcham, Mag-

Tom. I.

deburgensem Archiepiscopum, Adolphum quondam Coloniensem, Spirensis Episcopum, Regem Boemiarum, Austriæ ac Zaringiæ Duces, & quosdam alios, ut tibi potenter faveant & patienter, in iis & aliis satagentes honorem tuum indefessa sollicitudine promovere. Quocirca serenitatem regiam monemus attentius & hortamur quatenus prima, media, & novissima tua bona soli altissimo ascribendo, talem circa singula studeas te habere quod honoris tui processus, qui operante divina gratia & nostra cooperante sollicitudine prospere jam dirigitur, feliciter consummetur, de plenitudine gratiæ nostræ securus quod ad omnia quæ tibi noverimus expedire diligens studium impendemus & operam efficacem. Datum Laterani 11. Non. Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

## E I D E M.

**C**um de matrimonio contrahendo inter te ac primogenitam quondam Philippi Ducis Sueviæ in nostra præsentia tractaretur, tuis & ipsius consentientibus nentis ita providimus ut potestatem dispensandi super linea consanguinitatis, quæ te ac illam contingit, committeremus Legatis qui erant in Theutoniam regressuri. Licet autem eodem Duce defuncto dispensandi necessitas ex majori parte cessaverit, quia tamen adhuc ad illam aspiras, sicut per tuas nobis litteras intimasti, nos ex illa gratia speciali quam ad tuam regalem personam & habuimus & habemus, quod tunc circumspicte deliberatione providimus, etiam nunc provida circumspicte volumus adimplere, committendo Legatis nostris duobus vel uni, quos aut quem ad præsentiam tuam pro negotiis Ecclesiæ ac imperij proposuimus destinare, ut si urgens necessitas vel evidens utilitas postulaverit, super hoc auctoritate nostra dispensent. Datum Laterani Non. Decembris &c. *ut in alia.*

## Spirensi Episcopo.

Epist. 170.

**G**ratum gerimus & acceptum & tuam in Domino prudentiam commendamus quod pro reverentia beati Petri & nostra carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo disposuisti firmiter adherere ipsique imperialia insignia resignare. Super eo verò quod de conjugij conjuramento scripsisti hoc tibi duximus rescribendum, quod per Legatos nostros, quos disposuimus in Theoniam destinare, tuæ fraternitati curabimus plenarie respondere, parati semper efficere quæ tibi proficiant ad commodum & honorem in devotione ac fidelitate sedis apostolicæ permanenti. Datum Laterani 11. Non. Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

## Nobili viro Duci Zaringiæ.

Epist. 171.

**E**x affectu sinceræ dilectionis & gratiæ quem circa tuam personam gerimus provocamur ut, cum carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto in Imperatorem Romanorum electus magnifice jam procedat de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, consilium tibi demus quatenus ei firmiter adherendo, potenter sibi faveas & patienter; quod

DD ddd ij

niam proculdubio tibi magis credimus expedire ut rei finem præveniens, non expectans, nunc, antequam invalescat in toto, quasi ex discretionis proposito satagas id efficere quàm demum, cum invaluisset omnino, in necessitatis articulo forsan idem cogeres implere. Credimus enim quòd erga te taliter se habebit quòd meritò sibi poteris esse devotus, & nos, à quorum sanis consiliis deviaturus ipse non creditur, ad tui dilectionem eum efficaciter inducemus. Datum Laterani Non. Decembris &c. *ut supra.*

## CAMERACENSI EPISCOPO.

*Epist. 172.*  
Vide Godefrid.  
monach. sancti  
Pantaleon. ad  
an. 1208. 1209.

**L**itteras tuas plenas exultationis & gaudij paterna benignitate recepimus, per quas de promotione quinimmo quasi de confirmatione promotionis carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi, non solum desiderata nobis verum etiam insperata gaudia nuntiasti; illud in majori exultatione ducentes quòd, sicut per easdem litteras intelleximus, idem Rex in virum quasi alterum immutatus, in justificationibus Domini magis solito delectatur. Sperantes igitur quòd gratiæ nostræ non ingratus existas, quam circa te sinceram existere multis experimentis cognoscere potuisti, & quòd præfatus Rex inter præcipuos honoris sui fautores habere te deceat principalem, fraternitatem tuam monemus attentius & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus circa latus ejus studio sedulæ recordationis & exhortationis insistas ut in legem Domini suam dirigens voluntatem, ac in ea nocte dieque meditans, cultui divino se sedulum, apostolicæ sedis devotum, & respicientium se quieti gerere procuret intentum; ita quòd sollicitudo tua clareat in effectu, & nos eam dignis in Domino valeamus laudibus commendare. Datum Laterani Non. Decembris &c. *ut supra.*

## MAGDEBURGENSI ARCHIEPISCOPO.

*Epist. 173.*

**L**itteras tuas plenas exultationis & gaudij paterna benignitate recepimus, per quas de promotione quinimmo quasi consummatione promotionis carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi non solum desiderata nobis verum etiam insperata gaudia nuntiasti. Sperantes igitur quòd gratiæ nostræ non ingratus existas *ut in alia usque* laudibus commendare, gratum & acceptum gerentes quòd pro sedis apostolicæ reverentia eidem Regi ceteris factus prævius adhæristi. Datum Laterani &c. *ut in alia.*

*In eundem modum magistro Gerlando usque cognoscere potuisti, devotionem tuam monemus attentius & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus &c. ut in alia usque commendare. Datum &c. ut supra in alia.*

MAGISTRO HENRICO SCOLASTICO  
sancti Gereonis.

*Epist. 174.*

**R**ecepimus litteras plenas exultationis & gaudij, per quas de promotione quinimmo &c. *sicut in prima usque* non solum desiderata nobis verum etiam insperata sunt gaudia

nuntiata. Sperantes igitur quòd &c. *sicut in prima usque* laudibus commendare. Datum Laterani &c. *ut supra in aliis.*

## NOBILI VIRO DVCI AVSTRIÆ.

**N**untium & litteras tuas paterna benignitate recepimus; & cum inter alios Principes personam tuam sincera diligamus in Domino caritate, petitionem tuam, in quantum honestas potuit gratiæ præstare favorem, curavimus exaudire. Tu ergo litteris quas super episcopatus \* negotio destinamus utaris, si videris expedire. Alioquin cum pro causis imperij Legatos ad partes illas mittere disponamus, dummodo status ejus taliter, sicut credimus, dirigatur quòd eos oporteat destinari, si à te fuerit postulatum, executionem eis prælibati negotij commitemus, quemadmodum aliis qui dudum ob statum rerum in morte Principis immutatum de arrepto legationis itinere recesserunt meminimus commisisse. Ceterum super eo quòd nobis de negotio imperij tam per litteras quàm nuntium intimasti, hoc tibi duximus respondendum, de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta tuæ prudentiæ consulentes quatenus cum carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus magnificè procedere jam inceperit, potenter ei faveas & patenter; quia proculdubio tibi magis credimus expedire ut rei finem præveniens &c. *ut supra epist. cclxxi. usque* inducemus. Præterea memoratum nuntium latorem præsentium dilectum filium G. clericum tuum nobilitati tuæ propensius commendamus; qui, quantum in ipso fuit, nihil omisit de contingentibus super iis quæ apud nos ei commiseras promovenda, quinimmo ad promotionem eorum fideliter institit & prudenter. Datum Laterani, *ut supra* anno undecimo.

## ILLVSTRI REGI BOEMIÆ.

**S**uper eo quòd à nobis de negotio imperij per tuum nuntium & litteras requisisti, serenitati tuæ hoc duximus respondendum, de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta consilium tibi dantes quatenus cum carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus magnificè jam procedat, potenter ei faveas & patenter; quia proculdubio &c. *ut in alia usque* cogere implere; præsertim cum adhuc ex juramento sibi præstito tenearis. Credimus enim quòd erga te &c. *usque* inducemus. Datum Laterani 11. Idus Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

ILLVSTRI REGI OTTONI IN  
Romanorum Imperatorem electo.

**I**ncundus tuorum nuntiorum adventus ita nos est in ea qua tenebamur ægritudinis molestia consolatus ut ex gratis rumoribus quos de tuis successibus tulerunt quadam medicinali virtute nos fecerit de languoris doloribus in sanitatis gaudia respirare. Licet autem super negotiis pro quibus latores præsentium, viros utique providos & fideles, ad nostram præsentiam destinasti consueverint secundum morem